



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Christianorum cum Iudæis comuersatio prohibita est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

386 Iudaizare.

Irrisio, vide supra in verbo, Derisio.

Ceremoniarum superstitiosa obseruatio peccatum est.

Iudaizare (siue seruando sabbathum, siue alia Iudaorum custodiendo) peccatum mortale est, ad superstitionem falsi cultus diuini spectans.

Christianorum cum Iudæis conuersatio prohibita est.

Iudaorum conuersatio illicita est Christianis, in generali quidem quatum ad assiduam seu familiarem conuersationem. In speciali verò quantum ad decem. Primò ad simul habitandum. Secundò ad simul conueniendum. Tertio, ad simul balneandum. Quarto, ad vocandum illos in infirmitate. Quintò, ad percipiendum medicinas ab eis. Sextò, ad nutriendum infantes eorum in domibus eorum. Septimò, ad seruiendum eis, vt illorum famuli. Octauò, ad esse seruum eorum. Nonò, ad preficiendum seu permittendum illos in aliquo officio publico inter Christianos. Decimò, ad comedendum azima illorum: vt videre potes extra de Iudæis. & xxviii. quæst. i. in pluribus capitulis. Et quoniam in multis apposta est poena excommunicationis (vt in primo, tertio, quarto, quinto, & vltimo. in c. nullus. xxviii. q. i. secundum autem dicitur sacrilegium: sextum verò & septimum committitur Prælati vt compellant per Ecclesiasticam censuram, nonò quoque censura excommunicationis ferenda indicitur, xvii. q. ii. c. constituit. ideo cautè oportet confessorem, in huiusmodi non ferre vnam de omnibus sententiam, sed quædam nullo pacto pertransire: qualia sunt omnia quæ quasi continuam conuersationem, aut multam familiaritatem ingerunt (vt cohabitare, famulari domesticè quouis

mini.

Iudicis peccata. 387

ministerio, &c.) & quod tolerentur in officiis publicis. Primum enim horum periculum habet annexum subuersionis: iuxta illud Apostoli: modicum fermentum totam massam corrumpit: & propterea inhibitu est. Secundum autem derogat dignitati fidei, & idcirco est interdictum. Quaedam autem si absque contemptu non sunt seruata, ex incuria aut aliqua causa rationali, saltem secundum transgressorum iudiciu, tolerari possunt ut cenasse cum eis, aut balneatum simul esse, vocasse ad curam ægritudinis, & similia. Spectandum siquidem est ad tria. Primo, ad obedientiam, cui non contrahitur si desit contemptus. Secundo, ad finem præcepti, qui est, ne fides fidelium periculo corruptionis exponatur, contra quem fieret, si familiaritas, aut illorum super Christianos præfectura quælibet permitteretur.

Tertio, ad alium finem præcepti. scilicet dignitatem fidelium seruandam: contra quam fieret, & per illorum officia publica & per azymorum illorum comestionem, & per conuiuia, ipsis enim tanquam diuina profitentibus nostra abominantibus, Christiani quasi prophanos se exhiberent, illis deferendo. Et omnibus consideratis secundum diuersitatem temporum, locorum, & personarum est iudicandum, saluando semper per tria prædicta.

In dex potest dupliciter in iudiciis offendere.

Iudicis peccata sunt in duplici differentia, quaedam inique sunt contra diuinum vel naturale ius: quaedam contra ius positum. Et peccata quidem iudicis prima principalia sunt quinque. Primum est, iudicium iniustum in toto vel in parte. Secundum est, iudicium temerarium, quando sine sufficientibus testibus, documentis & iuris ordine quod ad necessaria